

DISPUTATIO XXXIV,

ET TERTIA DE HOC SACRAMENTO.

DE EFFECTU SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Explicata essentia hujus sacramenti, dicendum sequitur de effectibus ejus; sic enim ejus utilitas, significatio, et finalis causa magis constabunt; erit autem brevissima hæc disputatio, quia nihil fere difficultatis habet, sed solum oportet generalem doctrinam supra datam, tam de effectu gratiæ sacramentalis, quam de effectu characteris, ad hoc sacramentum accommodare.

SECTIO I.

Utrum hoc sacramentum imprimat characterem, ideoque iterari non possit.

1. *Confirmatio characterem imprimat.* — De hoc characterem eadem sunt opiniones, vel errores, qui supra de characterem in communi relati sunt. Quibus non obstantibus dicendum est, per hoc sacramentum infundi characterem in anima. Est de fide definita in Concil. Florent., et habetur ex traditione, ut in dicto loco latius ostendimus, ex quo pendendæ sunt rationes, vel congruentiæ, quas hoc loco repetere necesse non est, de quibus legi etiam potest D. Thom. hic, et in 4, d. 7, ubi alii Doctores, et Turrecremata, in c. Dicitur est, de Consecrat., d. 5.

2. *Utrum character baptismi et confirmationis distinguantur.* — Uter character perfectior. — Solum potest hoc loco inquiri, an hic character sit distinctus a characterem baptismali, in quo dubitari non potest, quin ex natura rei aliquantulum distinguantur, quia si non distinguerentur, non posset intelligi nova efficientia confirmationis circa characterem præter efficientiam baptismi; solum ergo dubitari potest, an character confirmationis sit nova qualitas, omnino in re distincta a characterem baptismali, vel solum sit quidam modus, vel perfectio ejus, sicut gratia confirmationis ad baptismalem gratiam comparatur. Videtur enim hoc posterius sufficere, quia hoc satis est, ut vera sint omnia, quæ de hoc characterem docent Concilia, et Theologi; et est consentaneum institutioni hujus sacramenti; dicitur enim esse quædam baptismi perfectio; ergo et character ejus solum erit quæ-

dam perfectio characteris baptismalis; et hoc sufficit, ut dicatur imprimere characterem, sicut dicitur conferre gratiam, solum quia perficit gratiam baptismalem. Hic modus dicendi posset defendi sine errore in fide; veritas autem est, characterem confirmationis esse qualitatem realiter omnino distinctam a characterem baptismi, quod inter alios clarius notavit Gabr., dicta d. 7, dub. 4, et colligi potest ex Conciliis et Doctoribus, qui æque distinguunt tres characteres, baptismi, confirmationis et Ordinis; sicut ergo character Ordinis ab aliis realiter distinguitur, ita et alii inter se. Item, quia, si hic character in re tantum esset unus magis intensus, vel perfectus, eadem ratione dici posset, baptismum et confirmationem non esse duo sacramenta, sed constituere unum integrum atque perfectum, ad eum modum, quo plures ordines unum sacramentum Ordinis perficere dicuntur. Tandem, quia non est verisimile, confirmationem esse tantum intensionem quandam characteris baptismalis, cum ad fines valde diversos ordinetur; seclusa autem intensione non satis intelligitur reale augmentum per additionem alicujus modi realis in his qualitibus, ut aliis in locis, præsertim 4. 2, tractatum est. Ex quo ulterius dicendum est, characteres hos esse essentialiter et in physica specie qualitatis distinctos, tum quia non debent distingui solo numero, cum ipsa sacramenta suo modo specie differant, cumque multiplicatio qualitatum solo numero diversarum in eodem indivisibili subjecto, vel ex natura rei repugnet, vel saltem sit valde per accidens et impertinens, multoque magis ad ornatum animæ spectent perfectiones diversarum rationum. Item quia per hos characteres consignatur homo ad diversa munera: per baptismalem, ut sit Ecclesiæ membrum et capax sacramentorum; per alium vero, ut sit consignatus miles Christi, ad fidem ejus publice profitendam. Addi etiam potest ratio, quia character baptismalis habet modum potentiae passivæ; alter vero magis assimilatur activæ, ut hic D. Thom. significat; quamvis Cajet. hic, art. 5, utrumque sacramentum partim passivum, partim activum constituere videatur, quod non admodum spectat ad disputationem de re, quia (ut supra dixi) character non est proprie ac physice potentia, sed dispositio quædam consignans hominem, et deputans illum ad aliquid agendum, vel recipiendum. Unde cum tam ea, quæ pertinent ad munus et officium hominis tantum

baptizati, quam ea, quæ sunt hominis confirmati, et perfecti, partim in actione, partim in receptione consistant, facile potest utrique characteri ratio potentiae activæ et passivæ accommodari; tamen simpliciter loquendo character baptismi magis dicitur potentia passiva, quam activa, quia per illum fit homo capax aliorum sacramentorum, quæ extra tale subjectum fieri nullo modo possunt; sicut character Ordinis dicitur potentia activa contraria ratione; character autem confirmationis, vel non ita accommodate recipit nomen et metaphoram potentiae, sed tantum est unum signaculum, vel magis revocatur ad potentiam activam, quia proxime ad actionem ordinatur, et non ad receptionem, nisi in quantum ex actione, id est, ex constantia fidei et religionis pendet. Unde, si quis quærat, quis sit perfectior character, baptismi vel confirmationis, respondetur, rem esse incertam; probabile tamen videri, confirmationis characterem esse perfectiorem, juxta ea, quæ sectione sequenti tradentur.

3. *Confirmatio eodem in homine iterari non potest.* — August. locus difficilis objicitur.

— Ultimo ex dicto principio infertur, sacramentum confirmationis in eodem homine iterari non posse; quod est etiam de fide certum et definitum in eisdem Conciliis Florent. et Trident., sess. 7, can. 9 de Sacramentis in genere, et hoc sensu dixit Concilium Tolet. VIII, sanctum chrisma collatum evelli non posse, id est, indelebilem imprimere characterem, propter quod iterari non potest, ut expressius traditur in cap. Dictum est, de Consecr., dist. 5, ex Concil. Cabillonens. II, cap. 27, idemque tradit Greg. III, in ep. 4 ad Bonifacium, habetur in cap. De homine, de Consecr., d. 5; potestque juxta probabilem Sanctorum expositionem hæc veritas confirmari ex illo ad Hebr. 6: *Non rursus jacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis et fidei in Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*, quo loco sacramentum confirmationis significari supra ex Chrysostomo et aliis ostendimus. Unde de eodem intelligunt Anselmus et alii, quod statim subditur: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati per baptismum, et participes facti sunt Spiritus Sancti, iterum revocari, etc.* Ubi significatur, utrumque donum tam baptismi quam confirmationis iterari non posse. Ratio vero est, quia per peccatum non amittitur character, et ideo necessaria sacramenti iteratio, nec propter se, nec propter effectum.

Nam si obex peccati tollatur, effectus sacramenti semper præsto est; tollitur autem obex peccati non per iteratum confirmationis sacramentum, sed per pœnitentiam. Contra hanc autem veritatem obstat difficilis locus August., lib. 3 de Baptism., cap. 16, ubi sic ait: *Manus autem impositio, non sicut baptismus, repeti non potest; quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* Quod autem per manus impositionem sacramentum confirmationis intelligat, patet ex initio illius cap., scilicet: *Spiritus Sanctus in sola Catholica Ecclesia per manus impositionem datur; et infra dicit, nunc non dari sensibilibus miraculis attestantibus Spiritum Sanctum per manus impositionem, sicut antea dabatur; constat autem Spiritum Sanctum non dari in Ecclesia, nisi per sacramentum confirmationis.*

4. *Prima expositio.* — Ad hoc testimonium responderi potest, August. sensisse, confirmationem datam ab hæreticis (de his enim ibi loquitur) non esse ratam, nec verum sacramentum, et ideo iterari posse, et debere in hujusmodi homine, cum ad Ecclesiam convertitur; non tamen docet Augustinus sacramentum confirmationis semel ratum et validum posse in eodem homine iterari; cui expositioni favere videtur Innocent. Papa I, epist. 18, cap. 3, et habetur in c. Arianos, 1, quæst. 1, ubi dicitur, hæreticos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ, ad Sancti Spiritus sanctificationem per manus impositionem suscipi; et infra subdit rationem: *Quoniam quibus solum baptismum ratum esse permittimus, nec Spiritum Sanctum eos habere arbitramur.* Ubi Gratianus paulo inferius in hoc sensu utrumque testimonium interpretari videtur, argumentando potius, quam definiendo, ut ex his constat, quæ inferius latius tradit.

5. *Secunda expositio.* — Hæc vero expositio omnino rejicienda est, primum, quia fundatur in doctrina hæretica, et repugnante aliis testimoniis August., quæ infra, disp. 37, sect. ult., afferemus; deinde, quia ratio August. non in eo fundatur, sed in hoc, quod talis manus impositio non est sacramentum, sic enim ait: *Quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?*

6. Unde etiam mihi non videtur probabile, quod quidam aiunt, fortasse ita tunc sensisse Augustin. de hoc sacramento; nam ratio August. declarat, eum sensisse, solam eam manus impositionem repeti posse, quæ sacramentum non est; nam hic est sensus illorum

verborum : *Quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* quamvis oppositum sentiat Petrus Soto, lect. 4 de Confirmatione. Nam ibidem distinguit August. sacramentum ab operatione seu fructu sacramenti, et dicit sacramenta posse esse in hæreticis valida, non tamen fructuosa, et ideo cum convertuntur, non repeti in eis sacramentum baptismi, quod valide acceperunt, sed solum imponi eis manus, quod repeti potest, quia hæc tantum est oratio quædam. Ergo per illam dictionem exclusivam intendit excludere, quod illa manus impositio sit sacramentum; non ergo ibi docere intendit, sacramentum confirmationis iterari posse.

7. *Tertia expositio.* — *Manus impositio multipliciter sumitur.* — Unde est tertia responsio, ibi non loqui August. de sacramento confirmationis; ita Waldens., tom. 2 de Sacram., cap. 15, et alii moderni; et probatur, quia August. aliis locis evidenter docet, confirmationem, et manus impositionem, prout illam significat, esse verum sacramentum, signatim lib. 2, cap. contra litteras Petilianæ, cap. 104 : *Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus; sed potest esse et in hominibus pessimis; in alio autem loco negat illam manus impositionem esse sacramentum; non ergo loquitur de sacramento chrismatis.* Est ergo advertendum, multiplicem fuisse manus impositionem, ideoque vocem hanc esse valde æquivocam, ut notavit Glossa in cap. Manus impositio, 4, quæst. 4; quædam enim dici potest curativa, juxta illud Marci ult. : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt*, de qua videtur intelligendum, quod Act. 9, dicitur : *Abit Ananias, et introivit in domum, et imponens ei manus dixit : Saule frater, Dominus misit me Jesus, ut videas, et implearis Spiritu Sancto.* Constat enim illam manus impositionem non fuisse confirmationis sacramentum; nondum enim Paul. fuerat baptizatus; fuit ergo tantum curativa, sicut etiam illa, de qua dicitur Act. 28 : *Contigit autem patrem Publii febribus et dysenteria vexatum jacere, ad quem Paulus intravit, et cum orasset et imposuisset ei manus, salvavit eum.* Secundo est alia manus impositio, quæ dici potest conservativa, seu ordinativa, de qua dicitur 1 ad Tim. 4 : *Noli negligere gratiam, quæ est in te per impositionem manuum presbyterii;* et cap. 5 : *Nemini cito manus imposueris;* et 2 ad Tim. 1 : *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per imposi-*

tionem manuum mearum; et de hac etiam intelligi potest illud Act. 6 : *Orantes imponentesque eis manus, etc.;* est enim ibi sermo de ordinatione septem Diaconorum, et eadem significatio reperitur in Conc. Nicæn., can. 9, alias 11, et Concil. Carth. IV, cap. 2. Tertio est manus impositio confirmativa, quæ idem est quod sacramentum confirmationis; de qua probabile est, sermonem esse ad Hebr. 6, et in superioribus multa de hac adducta sunt. Quarto est manus impositio cæremonialis ad baptismum, de qua late supra dictum est, eamque fieri ad aliquam catechumeni sanctificationem docet August., lib. 2 de Peccat. merit., cap. 26. Quinto est manus impositio, quæ dici potest reconciliativa, de qua Concil. Aurel. I, cap. 3; de qua potest etiam intelligi canon citatus ex Concil. Nic., et apertius de illa est sermo in can. 8 ejusdem Conc., et Conc. Agathen., cap. 15, prout refertur in cap. In capite, d. 50, et Concil. Aurel. II, cap. 17, ubi manus impositioni chrisma jungitur, ubi videri potest sermonem esse de confirmatione; quod si ita est, supponitur, illos hæreticos, Bonosiacos, de quibus ibi sermo est, non fuisse usos confirmationis sacramentum; sed probabilius est, illam fuisse cæremonialem unctionem, nam interdum committitur presbytero in extrema necessitate, ut patet ex Concil. Aurel. I, can. 2, et c. 3, fit expressa mentio manus impositionis reconciliatorie. Ultimo reperitur interdum quædam manus impositio tantum deprecativa, qualis videtur illa, de qua est sermo Act. 13 : *Tunc jejunantes, et orantes imponentesque eis manus, dimiserunt illos;* nam Paulus et Barnabas tunc neque fuerunt confirmati, neque ordinati presbyteri, vel Episcopi; ergo non fuit illa manus impositio aliqua ex prædictis; fuit ergo tantum bona quædam imprecatio. Augustin. ergo in prædicto testimonio solum loquitur de manus impositione reconciliativa, quæ simul erat deprecativa, quam a sacramento confirmationis manifeste distinguit August. idem, lib. 5 de Baptis., cap. 20; et cap. 23, de eadem manus impositione loquens, dicit : *Si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur;* et statim declarat, hanc manus impositionem solum fieri in signum Ecclesiasticæ unionis, quæ necessaria est ad charitatem recipiendam; de qua etiam loquitur Innocentius citato loco; uterque enim sermonem habet de modo reconciliandi eos, qui ab hæresi revertuntur, de quibus est optimum Tharasii testi-

monium in VII Syn., act. 4, ubi exponens dictum can. 8 Concil. Nic., dicit fieri posse, ut manus impositio non ordinationem, sed benedictionem significet, et plura dicturi sumus disp. 36. Ad argumentum autem sumptum ex principio ejusdem capituli Augustin., aliqui dicunt, August. eo capite æquivoce uti nomine manus impositionis; sed non placet; alioqui ineptus esset et incongruus totus Augustini discursus; dicendum est ergo etiam in principio capituli loqui de manus impositione reconciliativa, per quam dicit dari Spiritum Sanctum, non ad robur, neque eo speciali modo, quo datur in confirmatione, sed ad vivificandum hominem spiritualiter, qui antea per peccatum vel hæresim mortuus fuerat. Unde, inquit, Spiritum Sanctum dari per hanc manus impositionem, nihil aliud esse, quam quod Apostolus ait : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* quam charitatem non habent, qui ab Ecclesiæ communione præcisi sunt. Subdit vero deinde, Spiritum Sanctum non dari sensibiliter in hac manus impositione, sicut olim dabatur. Ubi videtur hanc manus impositionem comparare cum ea quæ fiebat Act. 8 et 19. Non tamen propterea sentit, esse eandem, aut æquivocationem committit, sed solum gratia exempli declarat non fieri in una, quod in altera fiebat. Denique cum inferius ait, aliud esse sacramentum, aliud operationem Spiritus, non loquitur de confirmatione, sed de baptismo. Sic enim ait : *Cum sit aliud sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, etc.* Legimus enim Simonem Magum fuisse baptizatum, non autem confirmatum, aut Apostolicas manus ei fuisse impositas, et sic est facilis totus Augustini contextus juxta prædictam interpretationem; an vero iterantes hoc sacramentum incurrant aliquam pœnam, dicemus infra in disputatione morali.

SECTIO II.

Quos effectus gratiæ sanctificantis conferat hoc sacramentum.

1. *Primus error.* — *Secundus error.* — *Quare dicatur confirmatio baptismi perfectio.* — Duo extremi errores possunt hoc loco referri. Prior est, negantium hoc sacramentum dare aliquem gratiæ effectum, quod non sentiunt, nisi, vel qui negant, hoc esse verum sacramentum novæ legis, vel qui generaliter ne-

gant, sacramenta novæ legis gratiam conferre; contra quos errores nihil nunc disputare oportet, quia id satis in superioribus præstitum est. Posterior hæresis esse potest, confirmationem per se et ex primaria institutione sua tollere peccatum originale, et consequenter primam gratiam dare. Hunc errorem docuisse dicitur Raymund., et sumitur ex Directorio Inquis., 2 part., quæst. 9, ubi inter centum articulos Raymundi, 89 est, quod infanti, qui non vult assentiri sacramento confirmationis, non valet sacramentum baptismatis; in quo significat sacramentum baptismi non habere effectum, donec sacramentum confirmationis recipiatur. Unde in 90 art. addit : *Quod si homo non est confirmatus, et credit se confirmatum, est mundatus a peccato originali, ratione bonæ intentionis, quæ consumit culpam et peccatum;* significat itaque, ut ibi etiam notat Eymericus, peccatum originale, non in baptismo, sed in confirmatione tolli. Sed illos articulos damnavit Greg. XI, ut ibi refertur, et latius in quæst. 26. Oriri autem potuit hic error ex eo quod Patres interdum vocant hoc sacramentum perfectionem baptismi, ut supra visum est, quod ita intelligebatur, baptismum sine confirmatione nullum habere effectum gratiæ, aut remissionis peccati, et ideo esse imperfectum, perfici autem in confirmatione, quia tunc datur totus effectus, ex qua interpretatione aperte sequitur, vel baptismum non esse sacramentum, vel saltem baptismum et confirmationem non esse duo sacramenta, sed ex utroque confici unum, habens unum effectum gratiæ et remissionem peccati originalis. Est ergo intelligentia erronea; verus autem illius locutionis sensus ex dictis constat; gratia enim, quæ in baptismo datur sufficientissima ad remissionem peccati, in confirmatione perficitur ac roboratur ad bene operandum, constanterque credendum et confitendum fidem, et ideo confirmatio baptismi perfectio appellatur.

2. *Hoc sacramentum potest per se conferre gratiam aliquam sanctificantem, præter gratiam baptismi.* — Dicendum est ergo primo, hoc sacramentum per se et vi sua posse conferre aliquam gratiam sanctificantem, præter eam, quam confert baptismus. Conclusio est de fide, quæ probanda est, primo ex generali principio, quod omnia sacramenta novæ legis conferunt gratiam sanctificantem, de quo videnda sunt dicta supra circa quæst. 62. Secundo probanda est ex his testimoniis